



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 16. De Columnis Herculis, & Freto Gaditano.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

## §. 16. De Columnis Herculeis in freto Gaditano.

**NOMEN.** Tradit Ælianuſ dicitas eſſe *Briarei*, ſed anteā *Saturni*: forte Saturni quia à longo tempore poſitæ; *Briarei* quod Herculis fuiflē nomen, ait ex Clearcho Xenodotus.

Iam verò Europæ *Calp* nominatur, quaſi *Hydria* Ηδρία, quia in morem crateris concaua prominent in mare: Dicitur & à Tzetzze *Abenna*.

Africana autem *Abyla* nuncupabatur vulgo, ſed à Barbaris, quia vox illa Punica *Montem Altum* ſonat ut eruitur ex Plauto, à Græcis autem appellabatur *Cynegetica*. Erat autem Mons ille ſitus in Metagoniis Numidicâ Gente, ut ait Eratoſthenes apud Strabonem. Sed quid iſtæ *COLVMNÆ*? octo reperio diuersas in eâ quæſtione opiniones.

*Prima* eſſe Antiquorum apud Strabonem, eas eſſe aliquid ultra Gades, ſed quid tandem iſtud eſſet ignorabant. An intelligebant Insulas Fortunatas?

*Secunda*. Eſſe ipſas Gadeis videlicet ultra quas non nauigaretur.

*Tertia*. Duas petras *Symplegadas*, ſeu planetas dicitas, accedentes, atque recedentes: ſic quidam apud *Strabonem*, & *Eusebiūm*.

*Quarta*. Fuiflē hīc excitatas ab Hercule Columnas, vnde locus poſtea nomen Columnarum retinuit; cui opinioni ſubſcribere videtur *Strabo*.

*Quinta*. Poſſidonij apud *Strab.* Columnas eſſe 8. cubitorum in templo Gaditano poſitas ex ære à Tyriis: Idem quoque *Philofra-tus*, niſi quod ex auro confectas velit.

*Sexta*. Eſſe vrbes duas, aut vnam, aut tres, aut plures: ſic enim diuersè multi ſentiant apud *Hesichium*.

*Septima*. Eſſe duas Insulas montibus *Calpe*, & *Abyla* vicinas, quarum quæ *Abylam* penè attingebat *Iunonis* dicebatur, alterius tacetur nomen.

*Octaua* denique & communissima, duos eſſe montes, ſeu promontoria, quæ Hercules excidit, aut etiam aggeſtâ humo excitauit. Ita vulgo antiqui scriptores plerique omnes.